



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

405. An, & qualter Canonici præbendati &c. ob servitium præstitum Episcopo licitè absint, & in absentia lucrentur fructus, & distributiones.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

fia sua Abulenfi & aliis fervari contrarium, nimirum ut celebrantes, etiam ex sola devotione, habeantur pro presentibus, & interessentibus choro, quæ confuendo cum sit ex justa causa, cum totum sit cultus divini in eadem Ecclesia, & ut beneficiati inducantur ad celebrandum, videtur tolerabilis, citatq; pro hoc Covar. Duennam Hojed. &c. hic & n. 343. Adeoq; Pirh. hoc ipsum recte referebat ad meram consuetudinem.

9. Octavo, Canonicus Vicarius Capituli sede vacante in absentia non solum lucratur fructus, sed & distributiones, quia censetur esse in servitio Ecclesie (secus ac Vicarius Episcopi, qui potius est in servitio Episcopi, de quo ad *quæst. seg.*) cum magis commodum sit Ecclesie, ut deputetur unus, & non exerceatur jurisdictio per totum Capitulum. Pavinus de off. & potest. Capit. sede vacante p. 2. q. 10. n. 5. Rebuff. in *praxi de Vicar. Episc. n. 5.* apud Garc. n. 358.

10. Denique Canonici vel habentes dignitatem &c. exercentes curam animarum incumbentem de jure vel consuetudine Canonicatibus suis, vel dignitatibus pro tempore, quo in Ecclesia curata resident, & ministrant (quamvis declarat. S. Congregationis apud Garc. n. 335. habeat: *dum tamen sunt in actu administrandi Sacramenta, vel alia exercendi, quæ spectant ad ipsam curam*) habentur tanquam presentes essent, & divinis interessent in Cathedralibus & Collegiatis, juxta c. 3. *sess. 22. Trid.* Pirh. l. cit. n. 91. Secus est de Canonici, vel dignitatem habentibus, qui parochiales non annexas seu unitas suo Canonicatui, vel dignitati obtinent; hi enim etsi, dum in parochialibus resederint, privilegiati sunt juxta Bullam Pii V. vel ex indulto Pontificio ad perceptionem fructuum suorum Canonicatum & dignitatum, non tamen ad percipiendas distributiones quotidianas, neq; optare possunt domus canonicales, neq; Canonicatui presbyterale, & similia, cum non habeantur pro presentibus. Et hoc nimirum, quando existat consuetudo, vel statutum, quo absentes non possunt optare; secus quo absentes possunt optare. sic habet declaratio S. Congr. ad cit. c. 3. *Trid.* quam etiam recitat Garc. n. 337.

Quæstio 405. An, & qualiter Canonici præbendati &c. ob servitium præstium Episcopo licite absint, & in absentia lucrentur fructus & distributiones?

R Espondeo, jure antiquo, nempe c. de cætero, & c. ad audientiam habetur, quod duo Canonici existentes in servitio seu obsequio sui Episcopi habeantur pro presentibus, & percipiunt fructus canonicatum, non tamen distributiones quotidianas. Garc. p. 3. c. 2. n. 345. sed neque huic juri derogatum est per cit. c. 12. *Trid.* Garc. n. 346. citans Navar. *consil. 1. & 2. de Cler. non resid.* Gon. *gl. 6. n. 255.* Hojed. de *incomp. benef. p. 1. c. 17. n. 29.* Zech. de *rep. Eccl. de Canon. n. 4. &c.* qui post *Trid.* scripserunt: & sic habent tres claræ declarationes Sacræ Congregationis apud eundem Garc. n. 347. juxta regulam, quod lex generalis posterior limitetur & determinetur per legem priorem specialem. *L. non est novum. & seq. ff. de ll. & gl. receptam in absent. offeratur. c. de litis contestatione.* Sanch. de *matrim. l. 2. d. 24. n. 6.* & alii apud Garc. n. 346. sic etiam Canonicus Vicarius Episcopi licite absit, & in absentia percipit fructus. Garc. n. 357. Pirh. *loc. cit. n. 91.* non tamen distributiones. AA. iidem cum Rebuff. in *praxi.* Porro verba illa: *Et ipsius Ecclesie servitio;* quæ habentur in citatis textibus non

esse amare accipienda, ita ut interserviens debeat de ea docere, sed satis esse, quod doceat de servitio pro Episcopo, ita ut dicta verba accipiantur de utilitate implicita Ecclesie, cum Ecclesia sit in Episcopo, tradit Lott. *cit. l. 3. q. 27. n. 191.*

2. Idemque procedit Primò etiam in Canonicis doctorali & magistrali. Garc. *nu. 364.* Gonz. *gl. 6. num. 257.* nisi id vergeret in notabile detrimentum Ecclesie, quia maneret destituta literatis. Garc. n. 29. & Rebuff. *tit. de dispens. de non residendo num. 40.* Putat tamen Paxjord. *l. 10. tit. 40. n. 170.* hos non excusari à muneribus legendi, & reliqua præstandi ex munere incumbentia, quia cum separata sint ab ipsa residentia, & particulariter injuncta, nec appareat de immunitate, remanent ad ea implenda obligati. Non tamen videtur procedere in Canonico Pœnitentiario, qui non videtur posse occupari in servitio ultra tres menses alias à Concilio permisso à Canonicis. Nec etiam in Canonico Lecturæ, cum ad munus illud electa sit ejus persona. Garc. n. 368.

3. Secundò in Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum. Lott. *loc. cit. n. 190.* Moneta de *distrib. p. 2. c. 8. n. 6.* contra Imol. *ad c. ad audientiam. n. 13.* & Jo. And. *ibid. num. 2.* censentes contrarium; eò quod non tanta communio sit inter Episcopum, & alias Ecclesias, quanta est illius cum sua Cathedrali.

4. Tertio in inferioribus etiam Clericis non Canonicis jure aliquo ad residendum adstrictis; occurrente tamen urgente aliqua necessitate ipsius Episcopi, & dispensatione Episcopi. Lott. n. 188. & seq. Garc. *num. 369. & seq.* citans Navar. in *man. c. 25. & 120. & consil. 8. de etat. & qualit. num. 46.* Zechum de *rep. Eccl. tit. de beneficiat. n. 4.* Lopez &c. cum de cætero textus illi citati, concedentes illud servitium Episcopo, expressè loquantur tantum de Canonicis, adeoque privilegium illud non sit ad alios extendendum (etiam si ut determinavit Rota apud Lott. haberent vocem in Capitulo, quod aliud est, quàm esse de Capitulo, ut videre est apud Garc. n. 377. & de quo si essent tales inferiores Clerici, uti quandoque contingit in aliquibus Ecclesiis, procederent in iis dicta jura, sicut in Canonicis, cum tunc sint membra corporis Episcopi. Garc. n. 378.) utpote in materia damnosa Ecclesiis, & præjudicante cultui divino. Lott. *nu. 185. & seq.* ex Abbate in *c. cum dilectus de Cler. non resid.* insuper sit major communio Episcopi cum Canonicis, quàm cum aliis. Garc. *num. 372.* Lott. *num. 187.* ex eodem Abb. *ad c. ad audientiam. n. 8.* ubi etiam docet, posse alias Clericos inferiores non Canonicos destinari, seu occupari per Episcopum pro utilitate communi, aut causa suggerente pro servitio ipsius Ecclesie Cathedralis (quamvis Rota apud Garc. n. 372. dicat ex Jo. And. *ad c. 1. de Cler. non resid.* non sufficere utilitatem totius Episcopatus in genere, sed requiri utilitatem Ecclesie) ita ut tunc in absentia absque dispensatione percipere possint fructus. vide Garc. *cit. n. 370. & 373.* ubi etiam quod alias occupati seu destinati pro utilitate communi, seu Episcopatus in genere, aut per Episcopum plures quàm duo ejusdem Ecclesie, ut sunt v. g. Procuratores generales cleri alicujus, residentes in Curia Romana, vel aliqua regali, non excusarentur à residentia in suis Ecclesiis, nec fructus lucrarentur, nisi fortè indultum speciale pontificium illis hac in causa concessum.

5. Quartò procedit idem de Cardinali habente in suo servitio duos Canonicos tituli. Lott. n. 184. citans Navar. *de cler. non resid. consil. 1. per totum*. Nihilominus loquendo universaliter, familiares Cardinalium non excusari à residentia, nec posse percipere fructus in absentia, cum non extet neque in jure tale privilegium, ut Franch. *in c. fin. de verb. signif. in 6. n. 3.* nec etiam hodièdum speciale privilegium Garc. n. 388. referens quoque speciale desuper declarationem S. Congregationis *in una Abulensi n. 423.* & ex eo Paxjard. *nu. 173.* contra Syl. Zerol. Abb. Selv. ex Jo. And. asserentes, Papam hodie hanc prerogativam concedere Cardinalibus.

6. Quintò idem procedere in Legato quantum ad provinciam suam Garc. *num. 382.* citat pro hoc plures, quamvis dicat &c.

7. Sextò procedit in Archiepiscopo quoad clericos suæ diocesis, & non suorum suffraganeorum. Garc. *loc. cit.* citans Zerol. Selv. Hojed. &c. & dicens esse communem DD. *in c. cum dilectus.*

8. Septimò, & quidem à potiore, quoad familiares Papæ existentes in ejus servitio, ut Capellani, Camerarii & similes, (modò assistant Pontifici principaliter ad ei servendum, & non ad expiscanda beneficia, quamvis & hæc intentio, si sit secundaria, non noceat. Paxjard. *loc. cit. n. 171.*) ita tamen, ut neque hi percipere possint distributiones quotidianas. Navar. *consil. 2. de cler. non resid. Garc. n. 383. & 385.* cum communi DD. *in cit. c. cum dilectus.* Sed nequidem percipiunt fructus scriptores, alique officiales Curie, qui stant principaliter propter suum lucrum, nisi ex præcepto Papæ in Curia morentur. Garc. n. 384.

9. Octavò censet Garc. n. 381. idem procedere in Prælati Episcopo inferioribus respectu suorum subditorum, cum textus *c. de cetero.* loquatur generaliter, nec appareat, cui loquatur. citat pro hoc Abb. *in cit. c. de cetero. n. 3.* Selv. *p. 4. q. 6. casu 17.* Navar. *l. paulo ante cit. Rebuff. tit. de disp. de non resid. n. 45.* idem tenet Paxjard. n. 172.

10. Denique existentes in servitio aut officiis Regum & Principum non posse percipere fructus, nec excusari à residentia, eò quòd in jure non extet tale privilegium, aut si quandoque in particulari concessum ante Trident, revocatum sit per ilud, docet Garc. n. 389. & seq. contra Selv. *loc. cit. casu 24.* Cavall. *in suis communibus contra communes. q. 585. n. 7.* Bocr. &c. unde nec procedere in Capellanis regum, nisi fortè concessum iis privilegium post Trid. quale tamen non esse, ait idem Garc. n. 391.

Questio 406. An, & quando servientes Episcopo (idem est de aliis) præter fructus lucrari possint distributiones?

1. **R**espondeo: in sequentibus casibus. Primò ubi ita habet consuetudo; hæc enim servanda erit, cum sit ex justa causa. Garc. *p. 3. c. 2. num. 348.* citans Covar. *l. variar. resolut. c. 13. n. 5.* Hojed. *de incomp. benef. p. 1. c. 17. num. 10.* contra Navar. *conf. 2. de cler. non resid.* dicentem: Canonicis servientibus Episcopo consuetudinem non prodesse ad habendum distributiones.

2. Secundò, dum adest specialis gratia & concessio Papæ. Garc. n. 354. citans Navar. *conf. 2. n. 3.* ubi & recitat indultum, quo id concessum S. Carolo Boromæo, ut ejus Vicarii foranei, dum ratione officii sui per loca sui Vicariatus ratione visitatio-

nis, aut alicujus alterius negotii spiritualis absint ab eorum Ecclesiis, obveniant nihilominus eis distributiones, acsi in choro presentes essent. uti & n. 356. dicit, istiusmodi privilegium solere quoque ad tempus concedi, & prorogari Inquisitoribus, aliisque ministris S. Inquisitionis Hispaniæ: idemque datum à Clement. VIII. pro Curatoribus generalibus cleri Hispaniæ deputatis & residentibus in Curia Romana, vel Regis Catholici testatur. n. 375. Porro debere hoc ipsum exprimi in concessione Papali, cum alioqui nomine fructuum non veniant distributiones quotidianæ: esseque tale privilegium strictæ interpretationis, salvâ verborum proprietate, utpote cedens in diminutionem cultûs divini, & præjudicium aliorum presentium, & derogationem legis communis monet Pirh. *num. 95.* ex Castrop. *cit. d. 3. p. 9. §. 10. n. 4.*

3. Tertio Canonici missi à suis Episcopis ad visitanda eorum nomina limina Apostolorum, uti & comitantes ad eadem limina ipsos Episcopos, lucentur non solum fructus; sed & distributiones ex decreto Sixti V. Garc. n. 349. Pirh. *num. 91.* citans Castrop. *ubi ante n. 4.* quod ipsum ex mente ejusdem Sixti V. procedere in aliis præbendis, licet non sint de Capitulo, ait idem Garc. n. 350. Canonici tamen, aut præbendati missi ab Episcopo alterius Ecclesiæ, aut eum comitantes, etiam si licet esset eorum Episcopus originis, vel etiam ratione aliorum beneficiorum in ejus diocesi existentium, nec distributiones, nec fructus percipient. Garc. *ibid.* Neque etiam habentes beneficia simplicia, quibus per substitutum deserviri potest, percipient ista de causa non serviendo distributiones, aut alia emolumenta servitii, nec excusabuntur à ponendo Vicario seu substituto. Garc. *ibid.* Porro non potest Episcopus nisi unum gaudentem hoc privilegio mittere suo nomine ad dicta limina, dum tamen ipse vadit, potest duos secum ducere, & si plures quam duos secum duceret, aut plures quam unum mitteret, nullus eorum perciperet fructus, aut distributiones, quia non est major ratio de uno, quam de altero. Garc. *ibid.* quamvis addat, videri probabile, & de mente Sixti V. quòd duo Canonici aut præbendati comitantes Episcopum, aut unus ab eo missus, lucentur etiam distributiones, licet aliàs habeat in suo servitio occupatos duos alios, nisi fortè ex hoc Ecclesiæ pateretur magnum detrimentum ob paucitatem ministrorum.

4. Quartò, dum Canonici consisteret solum in distributionibus quotidianis, servientes Episcopo lucentur quotidianas distributiones, amissa solum tertia parte, quæ deservientibus, seu presentibus accrescit. Garc. n. 351. juxta plures S. Congregationis declarationes, quas *ibidem* recitat. Quòd autem, ut habent ejusdem S. Congregationis declarationes ab eo relatæ. *nu. 113. & 114.* Absentes ratione studii, aut residentia in parochiali fruuntur tunc integrè distributionibus, videri rationem esse, quòd ista cause absentia videantur magis pia, majorisque favore digna. vide illum n. 352. & 353.

Questio 407. An, & qualiter Canonici alique supradicti absentes ratione infirmitatis excusentur à residentia, lucenturque fructus & distributiones?

Respondeo: præter dicta superius de curatis hæc de causa absentibus ab Ecclesiis suis, & hic à potiore etiã in ordine ad distributiones lucentur.